



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Notitia Congregationum Et Tribunalium Curiae Romanæ

Plettenberg, Hunold

Hildesii, 1693

Cap. X. De Cancellaria Apostolica.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63032)

C A P U T X.

De Cancellaria Apostolica.

**C**ancellaria juxta Covarruviam t. 2. *Pract. qq. c. 4.* dicta est à Cancellario, qui Princeps olim fuit in Curiâ, & Præfectus summus Prætorii, estque Cancellaria Tribunal & auditorium, in quo responsa dantur suppliciter aduentibus, & in quo nomine & sigillo Principis Literæ expediuntur super rebus judicatis, aliisque negotiis, quæ in hoc auditorio examinantur & definiuntur. Ideoque Cancellaria Apostolica dicitur organum mentis & vocis Papæ *Mandos. reg. 34. quest. 45.* & quicquid gerit ab ipso Papa geri videtur. *Rota apud Farinac. decis. 356. n. 8. p. 1. t. 1.*

§. I.

De Cancellario, seu Vice-Cancellario.

1. Cancellarius unde sic dicatur.
2. Cancellarii nomen antiquissimum
3. Quando sit in Curiam Romanam introductum.
4. Quod sit Officium Cancellarii.
5. Est antiquissimum.

6. & 7.

6. & 7. Qui olim id obierint.  
 8. Translatum est ad Cardinales.  
 9. Et Cancellarii dicti.  
 10. & 11. Hoc tempore cur Vice-Cancellarii dicantur.  
 12. Sunt in Curia primi post Papan.  
 13. Datus est Vice-Cancellario Titulus SS. Laurentii & Damasi.

## I.

**Q**ui præest Cancellariæ Apostolicæ Cancellarius, vel ut nunc Vice-Cancellarius dicitur, à cellulâ, ut placet Hotomanno *de verbis juris*, in quâ scribere consuevit, & cancellis munita fuit. Sed verius hoc nomine appellatur, quod rescripta, diplomata & privilegia, antequam sigillo muniantur, cancellare soleat, id est, transversis lineis, veluti cancellis expungere & illinire *l. Cancellaverat ff. de his quæ in Testam. delent.* & *l. Chi-rographum ff. de probat.* de quo ita Polycrates in initio libri:

*Hic est, qui leges regni cancellat iniquas,  
 Et mandata pii Principis æqua facit.*

2. Cancellarii nomen & officium in aulis Principum sæcularium antiquissimum esse constat ex *l. 1. tit. 51. C. de Assessoribus & domesticis & Cancellariis Judicum*, ubi

ubi l. 3. inter cætera Arcadius & Honorius A. 403. sanxerunt, ut Cancellarii post depositam administrationem quinquaginta dies in provinciâ resideant: Dicti hi quoque fuerunt Quæstores *Glof. universos c. de divers. rescrip. c. Florus de verb. signif.* Quod fuerit illorum officium in aulis Regum & Principum indicat Budæus in *Rubric. ff. de offic. Præfect. Præt.* Et Chassanæus in *Catal. glor. p. 7. cons. 7.*

3. In Curiâ Romanâ Pontificis hoc nomen Cancellarii primis sæculis insuetum fuisse videtur, quando vero primum sit introductum, non constat. Bernardus à Mallinckrot refert *de Archi-Cancell. l. 2. c. 5.* reperisse se apud Lindenbrogium inter privilegia Hamburgensia Leonis IV. (qui conscendit thronum A. 847.) literas his verbis subscriptas: *Data per manum Stephani Cancellarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ.* Panvinius teste eodem Mallinckrotio jam inde à Leonis IX, Pontificatu, qui cœpit A. 1049, Cancellariorum, Pro-Cancellariorum, & deinde Vice-Cancellariorum seriem producit. In Bullario primam Constitutionem, quæ à Cancellario subscripta est, reperio illam, qua Anastasius IV. anno 1154. privilegia concedit Hospitali, &

&

& Religioni S. Joannis Hierosolymitanis hæc ergo sic terminatur. *Dat. Lateranen. per manum Rolandi S. R. E. Presbyteri Cardinalis & Cancellarii.*

4. Officium Cancellarii, prout primitus fuit describit sic Panvinius: *Hic Epistolæ Romani Pontificis nomine dicebat, Synodicis Episcoporum consultationibus respondebat, Sacerdotum Romanorum decreta scribebat, proindeque conficiebat ea omnia, quæ nunc Secretarii Brevium, & Secretarius Intimis expedire solent. Nunc vero Officium Vice-Cancellarii spectat primaria & graviora Curia Romanæ negotia publica, & solennia, qualia sunt acta Consistorialia, conscribere & authenticare, atque etiam Apostolicarum provisionum literas solemnes in forma Bullarum sub antiquo sigillo plumbei aliaque de quibus infra num. 12. expedire.*

5. Officium hoc Cancellarii antiquissimum, & forte statim à principio primitivæ Ecclesiæ institutum esse videtur. Siquidem si primi Pontifices assumpserint in adjutorium Clericos pro Baptismo aliisque divinis administrandis, Ar-

chi-Diaconos pro curandâ re temporali, & Historiâ Ecclesiasticâ, dicendum omnino videtur ab initio statim à S. Petro constitutum esse aliquem, qui literas, monitaque & decreta Apostolica, atque etiam acta Conciliorum conscriberet, prout colligitur ex epistolis ipsiusmet S. Petri, actis Apostolorum aliisque sacris Historiis. Certè Officium hoc antiquissimum esse in Curiâ Pontificiâ constat ex S. Hieronymo, qui & ipse hoc munere functus est, prout testatur in Epistola ad Gerontiam de Monogamiâ his verbis: *Ante annos plurimos, cum in chartis Ecclesiasticis iurarem Damasum Romanæ Urbis Episcopum, & Orientis atque Occidentis Synodice consultationibus responderem &c.*

6. Priscis temporibus hoc munus exercuerunt Presbyteri alique probitate, & eruditione spectatissimi Viri. Onuphrinè, Chokier in præem. Reg. & ut verisimile est Notariorum Primicerii, ac deinceps Protoscriniarii dicti sunt, prout colligitur ex Onuphrio Panvinio de *vocibus Ecclesiast. obscurior.* & testatur Malinckrotius *l. c.* legi in Bullâ Nicolai I, qui creatus est A. 858, apud Lindenbrogium  
inter

inter privilegia Hamburgensia hanc subscriptionem: *Scriptum per manum Leonis Notarii, Regionarii, & Serinarii &c. Datum Kalend. Jul. per manum Tiberii Primicer. Sancta Sedis Apostolica.*

7. Postmodum obeuntes hoc Officium appellati sunt *Bibliothecarii*. c. 2. *Adrianus dist. 63.* quod desumptum est ex octava Synodo celebrata A. 869, eo quod curæ illorum quoque commissi essent libri Bullarum, & Regularum Extravagantium. *Alphons. in Proem. Reg.* Sic literæ Canonizationis S. Udalrici Episcopi Civitatis Augustanæ factæ a Joanne XV. A. 993. ita subscriptæ reperiuntur in Bullario: *Dat. 3. Kalendas, alias Nonas Februarii, per manum Joannis Episcopi S. Nepeſina Ecclesia, & Bibliothecarii sancta Sedis Apostolica.* Neque officium Datarii ab eo, quod est Cancellarii olim distinctum fuisse ostendit *Amydonius de stylo Dataria c. 1. & 2.* quamvis id reprobet *de Luca. Rel. Rom. Cur. disc. 9. n. 4. & seq.* Separationem vero, & distinctionem utriusque officii factum esse Avenione, cum Pontifices ibidem commorarentur tradit *Hieronymus*

mus Lunadorus in relatione sua della  
corta di Roma.

8. Transit vero officium hoc ab hominibus inferioris sortis ac conditionis ad Episcopos, ut patet ex supracitata Bulla Joannis XV. ad Cardinales Episcopos, & per indultum Benedicti VIII. post annum 1012. Cardinalis S. Sabinæ Episcopus hoc munere semper fungebatur. Deinde vero sub Alexandro II. administrare cœperunt idem officium Cardinales Presbyteri, vel Diaconi usque ad annum 1187, ut patet ex ejusdem Alexandri II. Bullâ approbationis Congregationis Monachorum Eremitarum Camaldulensium data & subscripta A. 1062. hoc modo: *Dat. Lucæ IIII, Kalend. Novembris per manus Petri Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyteri Card. & Bibliothecarii.* Et ex Bullâ Paschalis I I. edita A. 1106. quæ habetur in Bullario sic subscripta: *Dat. Lateranen per manus Joannis S. R. E. Card. ac Bibliothecarii.* Ex quibus similiter patet *Bibliothecarii* titulum adhuc in usu fuisse, eoque & Cancellarii titulo, nunc utroque junctim, nunc alterutro seorsim longo tempore usi sunt.



9. Rejeto deinde Bibliothecarii titulo remansit aliquamdiu solus Cancellarii, usque ad A. 1187, quando primum Bulla subscripta reperitur per Vicefagentem; Sic enim legitur in Constitutione Urbani III. qua dicto anno 1187 confirmavit Ordinem Fratrum Cruciferorum. *Dat. Verona per manum Moysi Lateranen Canonici Viceagentis Cancellaria.* Videtur hic Moyles vices supplēvisse in Cancellariâ pro Alberto Morâ Presbytero Cardinali Tit. S. Laurentii in Lucinâ, cum is Cancellarius fuisse legitur, qui deinde mortuo Urbano creatus Pontifex, & Gregorius VIII dictus, eundem Moysen Canonicum Ecclesie Lateranensis, nullo alio constituto Cancellario, in hoc confirmavit, atque ita hoc munus extra Collegium Cardinalium translatum mansit ultra sæculum usque ad tempora Bonifacii VIII, sub quo postliminio ad Cardinales rediit, perstatque apud eos ad hæc usque tempora.

10. Quæstio hic moverur ab auctoribus, cur qui præest Cancellariæ, etiam si is Cardinalis sit, non ut olim Cancellarius, sed Vice-Cancellarius appellatur? Variæ sunt hac de re conjecturæ

Gomesius *ad Reg. Cancell.* & Hostiensis putant Vice-Cancellarium dici ad differentiam Papæ, qui est primus in terrâ Christi Cancellarius? Verum si hoc ita, cur antiquiores dicti Cancellarii? Cur Leo IX Hermanum II. Archi Episcopum Coloniensem Archi-Cancellarium S. R. E. dixit? qui titulus certè major est titulo Cancellarii. Zabarella *in cap. Ne Romani de Elect. in Clement.* id factum existimat ad deprimendam illius auctoritatem, & existimationem, quod aliquando opposuerit se Papæ, in conscribendis mandatis; Sed hoc Gomesius *in proæm.* alique ut fabellam rejiciunt. De Luca *in Relat. Cur. Rom. disc. 10.* existimat, eum sic appellari ob excellentiam officii, cum *to Vice* non denotet hic statum interiorem, sed digniorem. Quemadmodum dicitur Datarius, cum Officio illius fungitur Prælati, vel Clericus inferior dignitate Cardinalitiâ; Cum autem per Cardinalem administratur, dicitur is Prodatarius.

II. Verum probabilius est, quod refert Onuphrius in epitome de Pontificibus & Cardinalibus Romanis, & Luncadorus *l. c.* fuisse hoc munus ante 500. annos, ut supra quoque insinuat, per Cardinales, qui Cancellarii dicti sunt.

sunt. Cum vero Gregorius VIII, transtulisset Officium hoc extra Collegium Cardinalium in Moylen Canonicum Lateranensem, appellatus est hic, quod Cardinalis non esset *Cancellarii vicem agens*, quo titulo etiam Successores in dignitate Cardinalitiâ non constituti, exceptis duobus proximè illi subsequentibus, qui Cardinales fuerunt, & *Pro-Cancellarii* dicti sunt *Onuph. in epit. usque* usque ad Honorium III. qui Pontificatum adiit A. 1216. sub hoc Raynerius de Castro veteri Canonicus Regularis, & Prior S. Fridiani Lucensis primus reperitur in Bullario dictus *Vice-Cancellarius* in Bullâ confirmatoriâ Ordinis B. Dominici eodem anno 1216. Quo nomine postmodum appellati sunt Successores quotquot extra Collegium Cardinalium ad hoc munus assumpti sunt. Cum ergo Bonifacius VIII, qui Pontifex creatus est A. 1294. Officium hoc contulisset Ricardo Petroni, atque is subinde ad dignitatem Cardinalitiâ promotus esset, immemor antiquæ consuetudinis retinuit nomen *Vice-Cancellarii*, sicque titulus *Cancellarii* & *Pro-Cancellarii* in Curia Romanâ antiquatus est.

12. Est vero hoc tempore *Vice-Cancellarius*.

cellarius major post Papam in Curia Romanâ *Card. in Clem. 2. de elect. quest. 4.* eique primus post Pontificem in Urbe locus conceditur, & præfertur etiam Camerario, licet Camera Apostolicæ officium prius Cardinalibus, quam Vice-Cancellarii munus commissum fuerit. *Gomes in præm. reg Canc* quia Vice-Cancellarius Justitiæ sceptrum gerit, & regit ex Officio Cancellariam secundum Regulas, quæ ad ejus dispositionem dantur in & extra Curiam. *Card. l. c.* Estque Judex in iis, quæ pertinent ad expeditiones juridicas Bullarum, omnesque literas Apostolicas cujuscunque materiæ (exceptis illis, quæ per Breve dantur sub annulo Piscatoris) signat litera L, qua significat lectas esse, & ex alterâ parte litera majuscula R, qua mandat, ut registrentur. *Alphon. in præm. Reg. Canc.* Ad hæc traduntur Vice-Cancellario in Consistoriis secretis Decreta Collationum Titulorum factarum Cardinalibus, & Promotionum Episcoporum, atque Abbatum Consistorialium, ut literæ factarum provisionum in Cancellariâ conficiantur, quas ipse deinde promotionis extrahit.

13. Assignatus est Vice-Cancellario Titulus & insignis Ecclesia Collegiata  
Y SS. Lau-

SS. Laurentii & Damasi à Clemente VII.  
*Const. 34. Etsi ad singula.* Cui amplum &  
 regium planè adjunctum est palatium,  
 in quo Officiales Cancellariæ Apostolicæ  
 ter in septimanâ, nimirum die Martis,  
 Jovis & Sabbati convenire solent. Ha-  
 bet hoc tempore ex Officio suo in pro-  
 ventu annuo quatuordecim aut sedecim  
 millia Scutorum. *Lunad. l. c.*

S. 2.

*De reliquis Officialibus Can-  
 cellariæ.*

1. Magnus est numerus Officialium in Cancellariâ.
2. Regentis Officium.
3. Corrigit Bullas male formatas.
4. Et distribuit causas inter Referendarios. Offi-  
 cium ejus emitur.
5. Qui constituent Collegium Abbreviatorum.
6. His multa concessa sunt privilegia.
7. Abbreviatorum majoris Præsidentie manus.
8. Non admittuntur nisi prævio examine.
9. Abbreviatorum minoris Præsidentie Offi-  
 cium.
10. Scriptorum Apostolicorum Collegium.
11. Scriptorum minoris gratiæ Officium & nu-  
 merus.
12. Janizerorum numerus & Officium.
13. Præter hos sunt alii quamplurimi in Cancellariâ  
 Officiales.

14. Qui ultra taxas nil exigere aut accipere possunt.

15. Taxa hæc constituta videtur Avinione.

1.

**V**ice-Cancellarius præest omnibus in Cancellariâ Officialibus, qui ei parere debent, Martinus V. *Const. 3. In apostolica*, & de aliquorum officiis officio suo annexis liberè disponit, Sixtus V. *Const. 1. in append. Cum sanctæ*. Est vero in Cancellariâ ingens turba Officialium, præcipui sunt: Regens, Abbreviatores majoris & minoris Præsidentiae, Jannizeri, Plumbatores, Registratores, Scriptores Apostolici, & minoris gratiæ, alique de quibus nunc ordine agemus.

2. Regens est Locumtenens & primarius Officialis Vice-Cancellarii, hic distribuere solet supplicationes signatas inter Abbreviatores majoris Præsidentiae per turnum, ut ab iis minutæ conficiantur. Facultatem habet addendi vel minuendi gratiam in Supplicatione contentam, & mentem Pontificis interpretandi. Potest etiam corrigere Bullas malè formatas, si erratum sit v. g. in nomine Oratoris aut Beneficii, in dispensatione matrimoniali, si pro affinitate expressum fuerit impedimentum consanguinitatis &c.

Y 2

3. Sci-

3. Sciendum namque, si malè formatæ sint Bullæ contra Regulas Cancellariæ, vel conceptæ non sint juxta signaturam, eas remitti solere ad Cancellariam ut corrigantur, quod facit Regens aliusve Officialis Bullâ cum transumpto signaturæ collatâ. Qui casus si occurrat, & error in Literis correctus sit, scribit in capite Literarum Regens: *Corrigatur in Registro pro ut jacet N. Regens.* In inferiore verò parte, ac in plica versus dexteram subscribit unus Magister supplicationem. *Correcta per me N. Registri Magistrum Rosa de Exec. lit. Apost. l. 1. c. 9. n. 21.* Si error commissus sit ab Abbreviatore, vel Scriptore Apostolico corrigendus est gratis, idque infra tres dies sub pœna suspensionis, & ingressu Cancellariæ juxta Constitutionem Martini V. *In Apostolicæ Corrad. in prax. Dissent. l. 2. c. 3. n. 26.*

4. Regens quoque committit omnes causas appellationis ad Curiam Romanam, easque distribuit inter Auditores Rotæ & Referendarios. Habet locum in Sacello Pontificio, sed in eo comparere non solet ob loci competentiam cum aliis Prælati. Officium Regentis comparatur à Vice-Cancellario 22. mille Scutis, ex quibus centum proferunt pro

cenſu annuo octo vel decem Scuta Lu-  
nadoro.

5. Abbreviatores proprium conſti-  
tuunt Collegium inſtitutum primò à Pio  
II. ac deinde anno 1478. innovatum  
à Sixto IV. per conſtitutionem *Divina*  
quâ præſcribit, ut in Cancellariâ præter  
alios Officiales ſint ſeptuaginta duo Ab-  
breviatores; Quorum duodecim dicun-  
tur Abbreviatores de Parco majori, ſeu  
majoris Præſidentia, viginti duo de Parco  
minori, ſeu minoris Præſidentia, & re-  
liqui Abbreviatores examinantes lite-  
ras in prima viſione, omneſque conſti-  
tuunt ſub nomine Abbreviatorum unum  
Collegium ad quod non admittuntur ni-  
ſi viri à pietate commendati, in ætate  
decenti conſtituti, & in Officio Abbre-  
viatoriæ bene inſtructi.

6. His Paulus V. qui & ipſe in mino-  
ribus conſtitutus, Abbreviatoris mune-  
re functus eſt, multa privilegia conceſ-  
ſit per Conſtitutionem *Romani Pontificis*  
Anno 1605. *Corrad. in Praxi Diſp. l. 2. c. 8.*  
Inter cætera eò ipſo, quod ad hoc Col-  
legium aſſumuntur, Referendarii cen-  
ſentur. *Paulus V. l. c.* & Nobiles, Comites  
Palatini, ac familiares ſunt Pontificis  
*Leo X. Conſt. 14. Summi.* ideoque portione  
panis & vini ex Palatio Apoſtolico fru-  
untur



344 *De Officialibus Cancellariæ.*

untur *Paulus V. l. c.* Officia eorum sunt  
compatibilia cum aliis Curiaë officiis, &  
resignari possunt. Ascendunt etiam Ab-  
breviatores à minori ad majorem Præ-  
sidentiam *Sixtus IV. Const. 16. Divina.*

7. Abbreviatorum majoris Præsiden-  
tiæ munus est ex Supplicationibus à Pa-  
pa signatis diplomata seu literas con-  
tere, quas minutas Bullarum dicunt  
ad quarum formam conscribuntur Bul-  
læ, *Vestrinus. De Rosa l. 1. de Execut. li. 1. c. 1.*  
*aliquæ.* Accipiunt etiam Regulas Can-  
cellariæ à Pontificè, secundum quas po-  
sunt gratiam in Supplicationibus con-  
tentam expedire, denegare, ampli-  
re, limitare, ac mentem Pontificis pro  
vel contra impetrantes interpretari  
*Corrad. l. 2. prax. dispens. c. 3. n. 2.* Non ta-  
men ita minuere possunt gratiam, ut ni-  
hil profit, nec extendere ultra substan-  
tiam clausulas. *De Rosa de execut. li. 1. c. 1.*  
*n. 36.* Omnes quoque literæ, quæ in Can-  
cellariâ expediuntur, subscribi debent à  
aliquo ex his Abbreviatoribus majoris  
Præsidentiaë, aliàs nullæ sunt, iisque  
utentes tenentur pœnâ falsi ex consue-  
tione *Leonis X. Corrad. in prax. Dip.*  
*l. 2. c. 8. n. 2.*

8. Quare cum tantæ sint auctorita-  
tis, circa ea quæ concernunt expedien-

nes literarum Apostolicarum, & Allistentes sint Vice-Cancellarii ac Regentis, non nisi præmisso examine, & approbatione cæterorum Abbreviatorum Cancellariæ ad hoc munus admittendi sunt juxta Constitutionem Martini V. *In apostolicæ dignitatis.* Quâ etiam obligantur quotidie convenire coram Vice-Cancellario, nec ab eo conventu abesse unquam possunt sine licentiâ ejusdem Vice-Cancellarii, aut Præsidentis. *Corrad. l. c. n. 6.* Sex Abbreviatorum majoris Præsidentiaë provisio spectat ad Pontificem, & sex ad Vice-Cancellarium, emiturque Officium hoc undecim vel duodecim mille Scutis. Vestuntur Abbreviatores illi more Prælatorum colore violaceo, & locum habent in Capellâ Pontificiâ. *Lunadoro in relat.*

9. Abbreviatores minoris Præsidentiaë suum quoque habent Officium in expeditione Literarum, ut patebit infra, ubi exponemus ordinem & praxin expediendarum Literarum. Hoc officium precio quoque comparatur, & Abbreviatores illi participant de emolumentis, quæ proveniunt ex expeditione Literarum & annatis.

10. Scri-

10. Scriptores Apostolici sunt centum & unus, qui constituunt Collegium, quod unum est ex præcipuis in Cancellariâ, cum illi adscripti sint nonnulli Cardinales, imò & ipse Pontifex. Signat hoc Collegium inter cætera literas Oratorum, pauperum, & quarumcunque indulgentiarum gratis. *Corrad. prax. Disp. Apost. l. 8. c. 6. n. 4. 7.* Emitur Officium Scriptorum Ducatis 1800. *Lunadoro.*

11. Sunt quoque Scriptores minoris gratiæ dicti, viginti septem, hi ex integro taxant literas dispensationum matrimonialium in formâ Pauperum pro Oratoribus à Curia absentibus, pro presentibus vero *Gratis.*

12. Jannizeri seu publici Sollicitatores in Cancellaria sunt centum. *Corrad. Prax. Disp. l. 4. c. 5. n. 19.* qui & ipsi manuum apponunt in expeditione Bullarum, pro ut ex dicendis clarescet, & pro rata emolumentum suum exinde habent. Quilibet solvit pro Officio illo Ducatos 1700. *Lunadoro.*

13. Præter hos est Præfectus sollicitatorum unus, Magistri plumbi tres, Præsident plumbi unus, Collectores plumbi centum & quatuor. Magistri Registrari Supplicationum quatuor. Clerici  
ejus-

ejusdem Registri sex ; Scriptores Archivii nonaginta unus. Corrector contradictarum unus, Correctores Archivii decem, Cubicularii sexaginta. Scutiferi centum quadraginta duo. Auditor contradictarum unus. Procuratores Contradictarum quatuordecim. Procuratores minoris gratiæ viginti quatuor. Depositarius Cubiculariorum & Scutiferorum unus. Qui omnes suas agunt partes in Cancellariâ Apostolicâ, & exinde emolumenta sua habent, *Corr. prax. Disp. Apost. l. 4. c. 5. n. 19.*

14. Ne verò excessus fiat & abusus committatur in exigendis pecuniis pro expeditione Literarum Apostolicarum aliarumque gratiarum provisum est à Julio II. per Constitutionem. *Et si Romanus Pontifex* & per Regulas Cancellariæ. Julius enim Pontifex ne Officiales Cancellariæ totiusq; Curiæ Romanæ quicquam ultra taxas aut postulent, aut accipiant sub gravissimis pœnis inhibuit, nimirum sub pœnâ excommunicationis latæ Sententiæ, & pro prima vice centum Ducatorum auri de Camera ; Pro secunda suspensionis exercitii & perceptionis emolumentorum ad sex menses Fabricæ Basilicæ Principis Apostolorum Urbis applicandorum ; Pro tertiâ verò vice, quibus

quibus contra fecerint privationis Officiorum, pœnis ipso factò incurrendis. Insuper declaravit contra facientes restituendum quidquid ultra taxam perceperint, fore obligatos. *Julius II. Conf. Etsi Romanus Anno 1512. Tertio Kal. April.*

15. Taxa hæc statuta creditur à Joanne XXII. Avinione cum Curia ibidem resideret, & continetur in libro, qui asservatur in Cancellariâ Apostolicâ, quem se vidisse testatur Corradus *in prax. Disp. Apost. l. 6. c. 4.* una cum alio libro, qui continet valorem Beneficiorum Confessorialium, ex quibus annatæ solvenda sunt.

§. 3.

## De Protonotariis.

1. Notarii ab ortu Ecclesiæ fuerunt.
2. Qui deinde aucto eorum honore dicti sunt Protonotarii; Quorum 12. Participantes dicti multis sunt privilegiis cumulati.
3. Alii sunt honorarii.
4. 5. 6. Eorum privilegia, & quæ circa eos Congregatio rituum declaravit.
7. Quales creari soleant Protonotarii.

1.

**P**rotonotarii quoque proprium habent locum in Cancellariâ Apostolicâ.

câ. *Mandos. in prax. signat. Tit. Protonotarii.*  
 Hi ab exordio Ecclesiæ originem suam ducunt. Nam Clemens I. Anno 48. septem deputavit Notarios, qui Martyrum agones describerent, ac eorum verba, in fide constantiam, aliasque circumstantias annotarent. *Baronius in annual.* Postmodum cessante persecutione mandavit Julius I. quascunque res ad Ecclesiam pertinentes scripto per Notarios consignare.

2. Cum verò successu temporis horum auctoritas & honor augetur ad differentiam aliorum in Urbe Notariorum dicti sunt Protonotarii & duodecim per Sixtum V. anno 1586. constituti multis privilegiis & emolumentis, propter quæ participantes dicuntur, aucti sunt. *Lotter. de Benef. l. c. 2. q. 28. n. 37.* Nam præter proprios redditus, quos habent à sede Apostolicâ, fruuntur etiam quibusdam emolumentis ex expeditione quarundam Literarum Apostolicarum; Sunt familiares & domestici Papæ, panem quotidie & vestes in morte & Coronatione Pontificis, locumque in Calvacatis, seu solenni equitatione obtinent. Possunt legitimare spurios, & creare Notarios seu Tabelliones; Sunt exempti à jurisdictione Ordinariorum, & eorum fami-

familiares armageſtare poſſunt. *Sixtus V. Conſt. 12. Romanus decimo ſexto Kal. Dec. 1585.* Conſuluntur quoque in Canonizatione Sanctorum aliisque quibusdam rebus gravioribus. *Lunadoro.* Conceſſus eſt illis privative quoad omnes alios Prælatos pileus niger cum cordulis & ornamentis violaceis *S. Congr. Rituum 17. Febr. 1607.* præceduntque Canonicos cujuſcunque Cathedralis, etiam quatuor Patriarchalium Urbis. *Eadem Congreg. Rit. 4. Maji 1613.* & in Capella Pontificis præcedunt Sacriſtas & Abbates uſum mitræ habentes. *S. Cong. Rit. 13. Jul. 1601.* Emunt Officium ſuum Protonotarii ſeptem millibus Scutatorum aureorum, & percipiunt ex eo quot annis 400. Scutata.

3. Reliqui Protonotarii extra hunc numerum duodenarium, id eſt non participantes, honorarii appellantur. Quemadmodum vero participantes, ita & hi exempti olim erant à jurisdictione Ordinariorum per Leonem X. in Concilio Lateranenſi *Seſſ. 10.* Sed hanc exemptionem ademit illis Concilium Tridentinum *Seſſ. 24 c. 11.* in cauſis criminalibus, non autem civilibus excedentibus ſummam 25. Ducatorum *S. Congr. Conc. 14. Dec. 1630.* Circa hos Protonotarios Titulares

tulares seu honorarios quam plurima declaravit S. Congregatio Rituum, quæ pro notitiâ hic brevibus ex Barbofa in *Collect. Bullarii V. Protonotarius*, referenda duximus, nimirum.

4. Anno 1601. 21. Aug. Apponere possunt pileum super insigniis, & habere annulum, sed sine gemmâ, dum celebrant.

Anno 1619. 23. Mart. Nec supra nec inter Canonicos locum habere debent.

A. 1604. 30. Cedere debent locum digniorem Officialibus Episcopi, Dignitatibus, & Canonicis Ecclesiarum Cathedralium.

A. 1601. 16. Maji. Præcedunt Canonicos Cathedrales singulos non autem Collegialiter comparentes.

A. 1601. 16. Maji. Non debent ratione Protonotariatus munera, quæ aliis de jure, vel consuetudine debentur, sibi vendicare.

A. 1610. 6. Martij. Si habeant dignitatem aut Canonicatum in Ecclesiâ Cathedrali, uti debent habitu Canonicali, vel dignitati suæ convenienti, & sedere, stare ac incedere in loco sibi debito, alias non lucrantur distributiones quotidianas, si vero uti velint in ea Ecclesia habitu Protonotarii, reputantur tanquam

quam



quam extranei, & assignatur illis locus non inter Canonicos, sed post Abbates, nec lucentur distributiones.

A. 1614. 15. Mart. Si Canonici sint, non possunt in Choro dum assistunt horis Canonicis uti Rochetto sub cottâ.

5. A. 1610. 19. Novembr. Si Archidiaconi sint, in functionibus publicis sibi tanquam Archidiaconi competentibus uti debent habitu Canonicali non Protonotarii.

A. 1612. 14. Jan. Si Canonici sint, possunt in Ecclesia uti subтана violaceâ, licet reliqui Canonici ferant nigram, in reliquis verò gerant habitum similem Canonicis.

A. 1601, 21. Aug. Si habeant primam dignitatem possunt in Choro deferre Rochettum cum Mantelletto, si verò eam non habeant, sedere debent in suo stallo cum habitu Canonicali.

A. 1611. Utentes habitu Protonotarii & Prælati, licet non sint in primâ dignitate præcedere debent Archidiaconum primam Dignitatem, sed non lucentur distributiones; Non possunt tamen ut anno 1611. 9. Nov. declaratum fuit illo habitu uti in Processionibus, aliisque actibus publicis, quibus eum Capitulo intersunt.

6. A. 1621. 7. Aug. Si Canonici sint, non lucrantur distributiones nisi proprio habitu Canonicali intersint Choro, Processionibus &c.

A. 1610. 6. Mart. Canonici vel Dignitates in Cathedrali, si celebrare voluerint, debent sumere paramenta in Sacrificia, ut Canonici alii, & non ex Altari.

A. 1615. 4. Jul. Si sint Vicarii Generales uti possunt Rochetto & Mantelletto in Choro, Processionibus aliisque functionibus in locis per Diocesin suæ jurisdictionis; Si verò sint de Capitulo non lucrantur distributiones nisi in habitu Canonicali.

A. 1630. 28. Sept. Protonotarius extra numerum non potest prohiberi habitum ferre Prælatorum nempe Rochettum cum Mantelletto coloris violacei & in Ecclesiis ac functionibus cum eodem habitu incedere, & sedere juxta dispositionem Cæremonialis

A. 1637. 5. Jul. Debent incedere, stare ac sedere in habitu Prælatorum in Ecclesia, & in Processionibus juxta dispositionem Cæremonialis.

A. 1631, Incedentes in habitu Clericali tam in Civilibus, quàm in criminalibus causis gaudent privilegio fori, quamvis

vis

354 *Ordo expeditionis Literarum.*

vis non sit adscriptus servitio alicujus Ecclesiæ.

A. 1626. Gaudent privilegio fori & Clericali etiamsi Ecclesiæ non inservant.

7. Cæterum Protonotarius sive à Papa sive ab aliis ab eo facultatem habentibus regulariter creari non solet nisi persona sit Nobilis seu graduata, nec ante 20 annum, nisi Nepos, aut filius Principis sit, qui ex privilegio post 17. annum creari possunt. *Corrad. prax. Dispens. Apost. l. 5. c. 7. n. 52.* Dignitas verò illorum ut ait Abbas in *c. 1. de privil. hodie vilescit propter numerum eorum excessivum.*

S. 4.

*Ordo expeditionis Literarum.*

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. *Forma & modus expediendi literas in Cancellaria.*
8. *Qui primi literas obsignarint plumbo; Quorum effigies in eo sint expressæ.*
9. *Plumbum quomodo Literis appendatur.*
10. *Bullis plumbatis quid porro illis fiat.*

I.

**P**ostquam supplicationes in Dataria secundum formam & modum cap. 2. traditum datatæ, registratæ & auscultatæ

tæ sunt, mittuntur à Magistris Registri in Cancellariam ad Notarium Regentis Cancellariæ. Per Regentem distribuuntur inter Abbreviatores de parco majore seu majoris Præsidentia, à quibus vel eorum substitutis conficiuntur minutæ Bullarum. *Amyd. l. 1. c. 6. n. 10.* Dictata Literarum minuta per Abbreviatores, conscribitur ex ea à Scriptoribus de verbo ad verbum Bulla, seu Literæ Apostolicæ in crassa membrana Gallico seu bulatico characterè.

2. In his literis ponitur in Principio Titulus Pontificis: *Innocentius Episcopus Servus Servorum DEI.* In contextu voluit Pius II. brevitatis causâ ne Diphthongi scribantur, & ob eandem rationem scribuntur nomina civitatum ac Diocesium truncate, sic: pro Neopolitana, Capuana ponitur Neapolitan. Capuan. *Corrad. Prax. Disp. Apost. l. 2. c. 7. n. 78.* Data vero scribitur extensa hoc modo. *Datum Roma apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo nonagesimo secundo. Sexto Id. Aprilis Pontificatus nostri anno primo.*

3. Annus ergo ponitur per consequentiam Literarum, & dies per Kalendas, Nonas & Idus, dictiones autem numerales

Z

ante

ante Kalendas, nonas & Idus per literas & Syllabas extensè scribuntur hoc modo: *Sexto Id. Aprilis* ad evitandas fraudes, quia si scriberetur VI. Id. addendo I foret VII. vel radendo I esset V Id. At Kalendæ, Nonæ & Idus non extensè scribuntur sed per Abbreviationem sic: *Kal. Non. Id.* quia in his non potest fraus facilè committi. *Corrad. Prax. Diss. Apost. l. 2. c. 7. n. 48.* In Brevi verò notatur data per numerum Cardinalem hoc modo: Die VIII Aprilis M. DC. XCII. vel Die 8 Aprilis 1692. Apponitur etiam Data locus specialis. *Apud S. Petrum.* Si Papa resideat in Palatio Vaticano; Si in monte Quirinali, in quo æstivo tempore Pontifices commorari solent scribebatur ante hæc: *Datum Romæ in monte Quirinali.* Sed Paulus V. ob devotionem erga DEI genitricem illiusque Ecclesiam S. Mariæ Majoris, quæ non longè à Quirinali sita est, voluit ut deinceps scriberetur. *Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem &c.* Si Papa commoretur extra Urbem v. g. in villâ Tusculanâ scribi solet: *Dat. Tusculi* & ante hæc: *Dat. Frascati Tusculan. Diæcesis*

4. Notandum hic verò à parum peritis ne perplexi hæreant putantes errorem esse in Bullâ, quam impetrarunt

(pro

(pro ut nonnullis accidisse memini) Annum ex stylo Curiaë incipere ab 8 Kal. April. quæ est dies vigesima quinta Martii Annunciationi B. M. Virginis & Incarnationi D. N. sacra ob insigne nostræ Redemptionis Beneficium, & non à primâ die Januarii. Nunc prosequamur Ordinem expeditionum Literarum.

5. Bulla dicto modo conscripta taxatur ad Bancum Scriptorum per Rescribendarium, taxatæ suam apponit manum Computator, & solvitur Scriptoribus taxa. Deinde mittitur ad Abbreviatores de parco minore, seu minoris Præsidentiaë, quorum unus perlectis literis nomen adscribit, & acceptâ juxta Taxam pecuniâ Bullam ad Abbreviatores majoris Præsidentiaë remittit. Ex his duo quoque ab hoc Deputati nomen suum paulò infra subscriptionem Abbreviatoris minoris Præsidentiaë supponere solent. Deinde deferuntur literæ ad sollicitatores Literarum Apostolicarum, quos Jannizeros vocant, quibus solvuntur duo Ducati, totidemque Caroleni de Cancellariâ (quorum decem constituunt Ducatum *Corr. in praxi Diss. l. 9. c. 4. n. 45.*) si taxatæ sint literæ triginta Ducatis, si verò infra, solvitur unus tantum Ducatus & duo Caroleni.

6. Inde deferuntur literæ ad sedes Abbreviatorû, quos de prima visione vocant, ubi unus illorum Abbreviatorû paulò infra subscriptionē Scriptoris Apostolici manum suam supponit, cui à sollicitatore solvitur unus Carolenus. Et si solvenda que sit annata, solvitur ex ea omnibus participantibus in Cancellaria residentibus nimirum Jannizeris, Scriptoribus Archivii, Cubiculariis, Scutiferis & riplibus Portionariis rata eis contingenti. Quo factò remittitur Bulla unà cum supplicatione eidem inserta ad Abbreviatorem majoris Præfidentiaë qui minutatim dictavit, hic factâ Bullæ collatione cum supplicatione, si eam concordare judicet, subscribit eidem in Signum sui officii nomen, & Bullam unà cum supplicatione illi inserta de Banco suo projicit in terram quam sublatam per se, vel per famulum suum Custos Cancellariæ omnem ex parte perlustrat, an omnes Officiales, quos materia requirit, subscriperint, & an Bullæ data cum data Supplicationis concordet.

7. Demum transmittitur Bulla ad Regentem Cancellariæ, qui examinat à qua collationata seu judicata sit, & si vellet alteri ex Abbreviatoribus iterum collationandam & judicandam committere

est in arbitrio illius. Deinde Supplicationes tradit Custodi, qui eas partibus accepto à singulis uno Julio restituit & Bullas adscriptâ primùm manu sua in margine literâ majusculâ A. à latere dextro, à sinistro vero I & circumductis lineis circa taxas scriptorum, & Abbreviatorum in Bulla determinatas, finitâ Cancellariâ tradit Plumbatori, à quo plumbantur & cordulis alligantur. Quo facto nemo potest in illis aliquid addere, aut ex illis detrahere, vel minuere sine incurfu excommunicationis latæ in Bullâ cœnæ.

8. Stephanus III. & Hadrianus I. qui electus est A. 672. Primi fuerunt qui literas Apostolicas ut diuturniores essent plumbo obsignarunt *Polyd. l. 8. c. 2. de Re- rum Invent.* In plumbo impressum est nomen Pontificis ex una, & ex alterâ parte effigies & nomina SS. Petri & Pauli. Sed cur Paulus dexteram hinc occupat, Petrus verò sinistram, cum dextra sit signum honoris & præminentiae? Respondetur primò, si id honoris gratiâ fiat, tres illius causæ assignantur. 1. quia Paulus plus profuit Ecclesiæ prædicatione, quàm Petrus. 2. quia Paulus Doctor fuit Gentium Petrus Judæorum, Gentiles autem Judæis sunt ante positi: sicque impletum illud: *Major serviet*



*minori.* 3. quia Petrus vocatus est, à Christo adhuc mortali, & quodammodo in sinistris constituto; Paulus autem à Christo immortali sedente ad dexteram Patris. *Petrus Deo Epist. ad Desid.* Hæc verò dignitas Paulo ab Ecclesia delata nihil officit Primatui Petri, quia datur hæc ob utilitatem & ex gratitudine in ipsum. Sic Stephanus & Laurentius Diaconi, hic S. Sixtus Pontificis, ille S. Jacobi Episcopi magis honorantur ab Ecclesiâ, quàm Jacobus & Sixtus, ut patet ex eorum Octavarum in officio, quia nimirum clarissima horum Diaconorum martyria toti Ecclesiæ præluxerunt. Respondetur ad id quod dicitur Non semper dexteram majoris honoris indicium fuisse, ut constat ex *Eusebio l. 1. de vita Constant.* nec hodie dum apud omnes nationes esse. Respondetur 3. In quibusdam antiquis imaginibus, quæ Romæ visuntur, tenet dexteram Paulus, in quibusdam Petrus, eo forte consilio, ut significarent veteres id quod monuit S. Maximus *Serm. ult. SS. Petr. & Paul.* Petrum majorem esse potestate, Paulum verò sapientia *Bellarmin. l. 1. de Rom. Pontif. c. 27.*

9. Jam verò Bullis sub forma gratiosa expeditis, hoc est, cum Papa contra

lit Beneficia habens plenam notitiam de provisorum habilitate, quæ diriguntur ad ipsos Provisos, appenditur Plumbum in cordula serica rubei & croceicoloris. In Bullis verò executionis, quæ diriguntur ad duos, vel tres in dignitate constitutos ad petitionem Provisi, quibus in solidum committitur immissio Provisi in possessionem, appenditur plumbum cum Cordula canapis; In Bullis etiam in forma dignum expeditis, quæ diriguntur ad Ordinarium, iisque mandatur de providendo, appenditur Plumbum cum Corda canapis. *De Rosa de Execut. lit. Apost. l. 1. c. 2. n. 70. & seq.*

10. Bullæ plumbatæ traduntur Collectoribus plumbi, qui pecuniam secundum taxam illis debitam à sollicitatoribus exigunt. Postmodum unus Jannizorum, qui tum adest, nomen suum intra Bullam à latere dextero adseribit & in fidem officii sui publici addit *N. sollicitavit & tantum exposuit*, calculando omnes impensas in expeditione factas, aded ut Oratores absentes vix decipi possint. Inde per aliquem è Scriptoribus vel eorum famulum ad Registrum Bullarum portantur, ubi uni Registratori

tori

tori solvitur taxa similis solutæ Scripto-  
ribus, alteri verò Registratori ad hoc  
deputato solvitur Registratura Bullarum  
plus minusvè pro ut sunt extensæ. In  
solutâ Registraturâ Bullas alteri Regi-  
stratori in libris publicis describendas, &  
ad Registram referendas distribuit. Re-  
gistratæ cum originali auscultantur, au-  
scultatis Bullis Magister Officii seu plumbi  
à tergo illarum auscultationis suæ fi-  
dem facit per verbum: *Auscultata,*  
& si annatæ non sunt solvendæ, parti-  
bus illas sollicitantibus consignantur. Si  
verò annata sit solvenda deferuntur  
Bullæ per Registratorem, qui eas descri-  
psit ad aliquem ex Notariis Camera  
Apostolicæ similium Bullarum Recepto-  
rem deputatum, qui solutâ annatâ, quæ  
ad Pontificem spectat, partibus sollici-  
tantibus easdem tradit. Ita fere Vestrius  
l. 1. c. 4.

§. 5.

### De Monetarum valore in Curia Romana.

I.

**C**Um, ut vidimus capite præcedente  
in Cancellaria Apostolica non solum  
annatæ sint solvendæ de quibusdam Be-  
neficiis

Beneficiis, sed etiam pro Literis Apostolicis danda sint emolumenta quibusdam Officialibus, subjiciemus hic diversarum monetarum valorem in Camera, Dataria, & Cancellaria receptum pro informatione exterorum, qui in Curia Romana aut gratias impetrarunt aut alia negotia expediri cupiunt. Reducitur vero omne monetæ genus Romæ à Dataria ad Ducatos auri de Camera. *Corrad. prax. Disp. Apost. l. 9. c. 4. n. 50.* Quod si ponatur simpliciter Ducatus non addendo de Camera attenditur valor currens in loco Beneficii. *Gorc. p. 5. de Benef. c. 3. n. 147.*

2. Quinque *quatrini* constituunt Romæ unum *Bajocchum* qui æquivalet Neapoli *Grano*, vel *Obolo*, vel *Tareno* Regni. *Nicolius in Flosc. V. Taxa.*

*Bajacchi* decem constituunt Romæ *Julium* à tempore Julii secundi, vel *Paulum*. *Corrad. prax. Benef. l. 2. c. 13.*

Decem *Julii* vel *Pauli* constituunt Romæ unum *Scutum*.

Tredecim *Julii* constituerunt ante tempora Pauli V. unum *Scutum auri* in auro octo stamparum; Exinde undecim *Julii*, ut constat ex ejus *Constit. universis*

versis

versus agri §. 3. n. 7. & nonnunquam quindecim. Corrad. l. c.

*Solidus* unus in jure est, ac juxta communem usum loquendi in Curia Romana *Scutum unum auri* in auro cufum, qui *nummus aureus* dicitur. Abb. in c. Querente de offic. Ordin. Corrad. in prax. Dig. Apost. l. 9. c. 4. n. 46.

Unum *Scutum auri* in auro octo stamparum, & unus *Julius* argenteus constituunt *Ducatum auri de Camera*. Corrad. in prax. Benef. l. 2. c. 13.

*Ducatus auri de Camera* æquiparatur *Ducato Florentino* Ibid.

*Ducatus Florentinus* æquiparatur *Libra Turonensi*. Ibid.

*Libra Turonensis* valet unum *Florennum auri*. Ibid. & Reg. 25. Cancell.

*Florenus aureus* est *Ducatus auri de Camera*. Ibid.

*Ducatus Hungaricus* (quo nomine omnes alii Ducati in Imperio & Belgio cufi nominantur) tempore Innocentii X. & Alexandri VII. valebat Romæ septendecim *Julios*.

3. *Valor monetae cujusque regionis*  
ex libro *Cancellaria Apostolica* excerptus

*cerptus, & impressus Lugduni anno  
1549.*

Libra Turonensium parvorum valet  
Ducatum unum auri de Camera.

Tres libræ Turonensium Monetæ in  
Francia faciunt duos ducatos.

Tres libræ Majoricen. faciunt pariter  
duos Ducatos.

Libra Barchinonen. Jaccen. Valentin.  
quælibet facit Ducatum unum.

Tres libræ monetæ Normandiæ valent  
duo scuta non antiqua.

Libra monetæ Britaniæ valet minus,  
quam ducatus, quia decem libræ valent  
Ducatos octo.

Libra Parisien. valet modicum minus  
librâ Britaniæ, & modicum plus mone-  
tæ Franciæ.

Libra monetæ Sterlingorum in Scotia  
valet Ducatos duos cum dimidio.

Libra monetæ usualis in Scotia valet  
Ducatum unum auri, & tres libræ similes  
valent tres Ducatos, qui faciunt unam  
libram Sterlingorum.

Libra Sterlingorum in Anglia valet  
Ducatos sex, reducta tamen ad Ducatos  
quatuor.

Libra monetæ Meten. valet Ducatum  
unum auri.

Libra

Libra monetæ Flandriæ valet Ducatos tres.

Tres franchi Franciæ faciunt Ducatos duos.

Florenus Rhenensis auri valet grossos Papales octo, & computantur in Camera Apostolica quatuor floreni pro tribus Ducatis.

Florenus Sabaudia valet bajocchos tri- duo floreni cum dimidio, & unus grossus Sabaudia facit Ducatum unum.

Floreni septem Rhenen. ad rationem quadraginta grossorum monetæ Flandriæ pro quolibet, faciunt Ducatos quatuor.

Floreni tres regni Navarra valent ducatum unum auri.

Floreni tres monetæ Provinciæ faciunt Ducatum unum.

Marcha Sterlingorum in Anglia valet Ducatos quatuor.

Marcha Sterlingorum in Ibernia valet Ducatos duos cum dimidio.

Marcha argenti valet Ducatos quinque auri de Camera.

Marcha argenti puri valet Ducatos sex similes.

Marabatini in Hispania 400. faciunt Ducatum unum auri, solet tamen augeri & minui pretium. Mille Marabatini

ni

ni valent Ducatos duos cum quart. 3. alterius Ducati.

Scutum antiquum Franciæ valet Ducatum unum.

Scutum novum auri Franciæ valet Ducatum unum minus uno grosso Papali, & sic computantur in Cam. Apostolica.

Salutria. valet Ducatum unum auri.

Uncia valet Ducatos sex auri

Florenus Carolen. valet medium Ducatum.

Florenus Brabantia valet medium Ducatum.

§. 6.

*De Auditorio Contradictarum.*

1. *Qui audiantur in hoc Tribunali.*
2. *Quod dicitur publicum.*
3. *Quales Literæ per hoc auditorium dentur.*
4. *Concedantur expeditiones ordinaria.*
5. *Primus Officialis hic est Auditor Contradictarum.*
6. *Est deinde Corrector Contradictarum.*
8. *Duo Lectores.*
9. *Quatuordecim Procuratores.*
10. *Nunc Literæ ab hoc Auditorio alias petita, expediuntur per Secretariam.*



**E**st præterea in Cancellaria aliud Tribunal seu Auditorium, quod Contradictarum vocant, in quo audiuntur ii, qui ob impetrationem gratiæ alicujus vel Justitiæ in Provinciis expeditioni se opponunt, & excipiunt vel contra personam Judicis, vel locum agendi Judicii, vel gravari se conqueruntur in re aliqua impetrationem illam concernente.

2. Hoc Auditorium dicitur quoque publicum, quia in eo res quæ publicari debent, ut sunt acceptationes expectantium juxta regulam *de publicandis acceptationibus*, Resignationes Beneficiorum juxta regulam *de publicandis Resignationibus*, Literæ tum justitiæ, tum mixtæ ac meræ gratiosæ in quibus dantur Judices vel Executores cum clausula: *Vocatis vocandis*, per Lectores ad hoc deputatos quasi per Præcones altâ & intelligibili voce legi solent, ideoque hoc Auditorium vocavit Eugenius quartus *Vocem Præconis*, & si quæ in eo publicentur tanquam gesta, censentur omnibus esse nota. Quare mos est in Judiciis, ut citationes, quæ per edictum publicum ob non tutum ad citandos accessum, decer-

decernuntur, in hoc Auditorio prius publicè legantur, & deinde ut magis innotescant in valvis Basilicæ S. Petri, aliisque Ecclesiis vicinis illis qui citantur, affigantur, quæ publicationes & affixiones arctant citatum ad comparendum, ut si non compareat pro contumace victo reputetur. Præterea solent Judices Rom. Cur. si quem absentem legitimè citatum reputent pro contumace, alteri parti comparenti facultatem concedere citandi contumacem per hoc Auditorium, quam facultatem vocant: *Processum per audientiam Contradictarum.*

3. Solet quoque Cancellaria per hoc Auditorium ad Judicis decretum Literas Judiciales, quas vocant majoris justitiæ, ut sunt remissoriæ, Sequestatoriæ, Executoriales, Interdictoriæ, & Brachii sæcularis invocatoriæ litigantibus dare sub Plumbo & nomine Pontificis, postquã tamen Procurator Audientiæ totum revidit Judicis processum, eumque in Auditorio retulit & Auditorium eundem approbavit.

4. Ab hoc quoque Auditorio petuntur & impetrantur, pleraque illa quæ minoris Justitiæ, & ordinariæ expeditiones dicuntur, ut sunt: Simples causarum Commissiones in forma conquestus,

stus,

374 *De Auditorio Contradictarum.*

stus, Commissiones appellationum in formâ : *Cum à nobis* : Confirmationes libertatum & immunitatum familiæ alicujus, vel loci, in forma : *Cum à nobis*. Confirmationes concordiarum & transactionum ; Foundationis alicujus Altaris ac reservationis Juris Patronatus, Confirmationes Beneficiorum ad modum novæ provisionis. Translationes Professus alicujus regularis de uno ordine ad alium. Dantur etiam in hoc Auditorio Literæ revocatoriæ eorum, quæ per usuram gesta sunt, alienationem rei Ecclesiasticæ concernentia & eorû omnium quæ contra aliquem ad Sedem Apostolicam venientem post arreptum iter sunt patrata. Item literæ ad Ordinariû ut promotus ad sacros ordines Diocesano suo de Beneficio provideat. Literæ conservatoriæ privilegiorum, item contra Laicos molestantes Clericos, contra prædones & inferentes extrajudiciales molestias, contra Parochianos non solventes decimas, & similes. *Vestrius l. 1. c. 5.*

5. In hoc Tribunali primus Officialis est Auditor Contradictarum, qui tanquam Judex ordinarius contradictiones audire & definire solet. *Vestr. l. c.* subscribit etiam Bullas omnes quæ dantur cum clau-

clausula *Vocatis*, quæque dicuntur *Si in evidentem*. Vestitur habitu Prælati, coloris violacei cum Rochetto, & in Capellâ Pontificiâ locum obtinet inter Prælatos. *Lunadoro*. Olim amplissima erat ejus dignitas & post Cardinales & Vice-Cancellarium primas obtinebat, nunc verò cum antiquata sit ferè ejus jurisdictio, plurimùm quoque diminutus est gradus ejus dignitatis. *Host. in Clem. Auditor de rescrip.*

6. Præter Auditorem est Corrector Contradictarum, & est quasi substitutus Auditoris, cujus Officium est corrigere Bullas quæ expediuntur per Auditorem. Emitur hoc Officium 12. millibus Scutorum, pro reditu annuo profert 1200. Scutata. Vestitur quoque ut Prælati colore violaceo cum Rochetto, & locum habet in Capella. *Lunadoro*.

7. Habet præterea hoc Auditorium duos Lectores qui ex Scriptoribus Apostolicis eliguntur, & Lectores Audientie Contradictarum vocantur, à quâ singuli stipendium habent menstruum quatuor Ducatorum, Officium eorum colligitur ex supra dictis *num. 2.*

8. Sunt deinde duo Notarii, alter ad obsequium Vice Cancellarii, qui publica-

tiones, citationum literarumque lectiones, quæ quotidie in hoc Auditorio fiunt, annotat. Alter ad servitium Auditoris, qui Actuarius est causarum, quæ coram Auditore ventilantur.

9. Præter hos sunt in Auditorio hoc quatuordecim Patroni seu Procuratores partium vel impetrantium, quorum Officium est omnes literas, quæ in eo expediuntur dictare, easque supplicibus vel litigantibus, retentis juxta taxam debitam solutionibus, nomine Pontificis & sub plumbo expeditas dare.

10. Nunc verò solet Signatura in Rescriptis justitiæ mixtis, ac pluribus etiam merè gratiosis in istâ literarum expeditione dispensare, ut possint ejusmodi literæ per Secretariam sub annulo Piscatoris expediri, ad quam proinde magnus est petentium concursus, ut Auditorium hoc maneat ferè otiosum & desolatum. *Vestrius l. c.*

## CAPUT XI.

De Regulis Cancellariæ, earumque origine & auctoritate.

1. Qui Regulas has confecerint.
2. Quotuplices sint.
3. & 4. An constituent ius universale.